~~33~~ 32

Feriâ 2. die 20. Januarii 1716. In Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita; in quâ, præter nonnullos ſupplices libellos plerumque à Sanctitate Suâ remiſſos, proponentur infraſcripta dubia.

I.

MANILANA. In Eccleſiâ F.F. Diſcalceatorum Sancti Auguſtini extrà muros Urbis Manilæ, inſignis Confraternitas ſub titulo S. Sebaſtiani erecta eſt, cui ex variis illarum Regionum locis ſupra triginta fidelium millia nomen dedere: Confratres & Conſorores die 21. Januarii feſtum Beatiſſimæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo ſolemni pompâ peragere conſueverunt. Pro eâ die Confratribus, & Conſororibus Sanctiſſimus Dominus Noſter plenariam Indulgentiam elargitus eſt literis in formâ brevis datis die 14. Octobris præteriti anni 1715. Quoniam verò tùm ob Sacerdotum inopiam, tùm ob magnum Confratrum numerum ad eandem feſtivitatem confluentium, Indulgentiam prædictam unius diei ſpatio omnes conſequi minimè valent, novas preces Sanctiſſimo Domino Noſtro porrexerunt, ut eadem Indulgentia ad totam octavam extendatur, quemadmodum Sa: Me: Innoc: XI. poſt conceſſas nonnullas Indulgentias pro aliquibus anni feſtivitatibus in Regnis Chinæ, Tunchini, Concincinæ, & Siami, eaſdem ſubindè ad quindecim dies unamquamque ex hujuſmodi feſtivitatibus immediatè ſubſequentes ſimili de causâ ampliavit *Summ. num.* 1. Summæ itaque EE. PP. prudentiæ decernendum proponitur.

An precibus ſit annuendum.

Affirmative

A CONIM-

CONIMBRICEN. Sacra hæc Congregatio decreto edito die 20. Aprilis anni 1711. declaravit Sanctimonialium Monaſteria, quæ à curâ, & gubernio Fratrum ſuorum Ordinum ſub immediatam juriſdictionem Epiſcopi tranſlata ſunt, ſeù inpoſterùm transferri aliquâ ratione contigerit, non ideò Privilegia, & Indulgentias, quibus anteà gaudebant amiſiſſe; aut amiſſura fore. Verùm nonnulla Monaſteria reperiuntur, quæ licet regulare aliquod Inſtitutum ſectentur, nunquam tamen regimini Religioſorum ejuſdem inſtituti, ſed ab ipsâ fundatione ad hæc uſque tempora vel S. Sedi, vel locorum Ordinariis immediatè ſubjecta extiterunt. Hujuſmodi eſt Monaſterium Sanctiſſimi Sacramenti Oppidi *Lourical*, quod quamvis S. Franciſci Regulam profiteatur; Tamen ſub immediatâ juriſdictione Epiſcopi Conimbricenſis erectum fuit: Ideò Abbatiſſa, & Moniales ejuſdem Monaſterii declarari humillimè poſtulant.

Primò. An memoratum hujus Sac. Congregationis Decretum ſuum etiam Monaſterium comprehendat, & quatenus negativè.

Secundò. An ad illud extendi debeat.

Consulendum SSmo pro concessione omnium Indulgentiarum, quibus gaudent alia Monasteria Ordinis S. Francisci.

III.

JANUEN. Extat in Civitate Januenſi Confraternitas de Charitate vulgò dicta, cujus præcipuum inſtitutum eſt Infirmis in Hoſpitali Incurabilium exiſtentibus inſervire. Confratribus, & Conſororibus qui ſepties in anno ſtatis diebus memoratum pium opus exercuerint, iiſdemque diebus aut Dominicis immediatè ſequentibus Sanctiſſima Sacramenta ſumpſerint. Sa: Me: Innoc: XI. Indulgentiam plenariam Defunctis etiam applicabilem ad ſeptennium conceſſit *Sum.num.* 2. Modò Confratres & Conſorores pro brevis confirmatione ſupplices preces porrexere. Inquiritur ergò.

An Breve prædictum confirmandum ſit.

Affirmative

ROMA-

Digitized by Google

IV.

ROMANA. Eccleſiam Collegiatam SS. Celſi & Juliani de Urbe præcipuis Indulgentiarum muneribus non nulli Summi Pontifices decorarunt; Etenim non modò pro feſto titulari, ſed etiam pro feſtis diebus Conceptionis B. M. V. Immaculatæ, & S. Mariæ Magdalenæ, cujus Inſignis Reliquia magno Fidelium concurſu in eadem Eccleſiâ colitur plenariam Indulgentiam âliàs pro unicâ vice, aliàs ad ſeptennium, aliquandò etiam ad decennium conceſſere. Prædictæ Eccleſiæ Canonici nuper Sanctiſſimo Domino Noſtro ſupplicem Libellum porrexere, ut non modò Indulgentias prædictas ad ſeptennium confirmare, verùm etiam pro Feſto S. Liborii aliam Indulgentiam plenariam concedere dignetur. Precibuſque huic Sac. Congregationi de more remiſſis, Eminentiſſimis Patribus decernendum erit.

Primò. An memoratæ Indulgentiæ pro feſtis diebus Conceptionis B.V. Immaculatæ. SS. Celſi & Juliani, & S. Mariæ Magdalenæ confirmandæ ſint. ~~Affirmative~~ pro feſto SS. Celsi, et Jul. et S. Liborii ad septennium

Secundò. An Indulgentia plenaria pro feſto S. Liborii concedi debeat.

V.

ORD. FF. MIN. RECOLLECT. Cùm Eccleſiis FF. Minorum Recollectorum, & Strictioris Obſervantiæ Indulgentia plenaria in perpetuum conceſſa fuerit pro feſtivitatibus B. Ludovicæ Albertoniæ, S. Catharinæ de Bononiâ, SS. Paſchalis Baylon, Bernardini Senenſis, Antonii de Paduâ, Bonaventuræ, BB. Martyrum Gorcomenſium, Dedicationis B. M. Angelorum, S. Claræ, S. Ludovici Epiſcopi, Translationis S. Roſæ Viterbienſis, SS. Franciſci, Petri de Alcantarâ, Didaci, Joannis de Capiſtrano, & Conceptionis B. M. V. Immaculatæ; modò Agens Generalis ejuſdem Ordinis humillimè ſupplicat, ut omnes prædictæ Indulgentiæ Eccleſiis etiam Miſſionariorum ſui Ordinis in Provinciis Belgii, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, & Daniæ ad decennium concedantur, ſimiliſque conceſſionis exemplum exhibet; ſiquidem Indulgentias perpetuas pro nonnullis ex relatis feſtivitatibus, Ec-

cleſiis

cleſiis Fratrum Cappuccinorum jam anteà conceſſas, Eccleſiis etiam Miſſionariorum ejuſdem Ordinis Sanctiſſimus Dominus Noſter ad decennium elargitus eſt Brevi dato 15. Octobris anni 1706., quod Sac. hæc Congregatio ad decennium pariter confirmandum cenſuit die octavâ Julii anni præteriti. Expendendum itaque erit.

An ſupradictæ Indulgentiæ Eccleſiis FF. Minorum Recollectorum, & Strictioris Obſervantiæ in perpetuum conceſſæ ad Eccleſias etiam prædictorum Miſſionariorum in memoratis Provinciis extendi debeant.

Affirmativè

VI.

IN nonnullis Germaniæ Provinciis Clerici Regulares Societatis Jeſu ſacras Miſſiones peragentes, ut uberior, idemque perennis animarum fructus habeatur piam quandam conſuetudinem inducere ceperunt, ut variis in locis, pro Civitatum, aut Oppidorum magnitudine, quotidie Veſpertinis horis Chriſtifideles conveniant ad eliciendum contritionis actum, Litanias B. M. V. recitandas, aliaſve ad Deum preces fundendas; Ut autem adeò ſalubre Inſtitutum nova ſemper incrementa ſuſcipiat, humiles preces Sanctiſſimo Domino Noſtro porrectæ fuerunt pro obtinendâ ab iis omnibus, qui prædictum opus exercent, plenariâ Indulgentiâ in articulo mortis, in feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti, in feſto Conceptionis B. M. V. Immaculatæ, die quo piis cœtibus nomen dederint, nec non Indulgentiâ centum dierum pro ſingulis diebus, quibus Litanias B. V. recitaverint; quemadmodùm Sa: Me: Greg. XV. Breve, quod incipit *Pietatis*, *& Chriſtianæ Charitatis* iiſdem Clericis Regularibus Societatis Jeſu Chriſtianam doctrinam edocentibus, aliiſve Fidelibus illos in hoc adjuvantibus plurimas Indulgentias conceſſit. Quapropter inquiritur.

An prædictæ Indulgentiæ concedi debeant.

Indulgentia quotidiana centum dierum ad septennium.

SUM-

Digitized by Google

SUMMARIUM.

INNOCENTIUS PP. XI.

Num. 1.

AD futuram &c. Cum ſicut Venerabilis Frater Franciſcus Epiſcopus Heliopolitan. unus ex Vicariis Apoſtolicis ad Sinas ab hâc Sanctâ Sede deputatis Nobis nuper exponi fecit nonnullæ Indulgentiæ, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes Chriſtifidelibus Regnorum Chinæ, Tunchini, Concincinæ, & Siami, aliarumque Provinciarum adminiſtrationi eorumdem Vicariorum Apoſtolicorum reſpectivè commiſſarum, qui aliquas Eccleſias, ſeu Oratoria, in certis anni feſtivitatibus devotè viſitaverint, aliaque pietatis opera peregerint, Apoſtolicâ auctoritate cõceſſæ reperiantur, prout in Literis Apoſtolicis deſuper expeditis pleniùs continetur; verùm cum multi ex iiſdem Chriſtifidelibus, vel ob diſtantiam Locorum, vel ob deficientiam Miſſionariorum non poſſint tàm brevi tempore diſponi ad illas dignè, ac devotè acquirendas; & propterea dictus Franciſcus Epiſcopus opportunè in præmiſſis à Nobis provideri, & ut infrà indulgeri, plurimùm deſideret; Nos piis ipſius Franciſci Epiſcopi votis hàc in re quantùm cum Domino poſſumus favorabiliter annuere cupientes, eumque à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis &c. inclinati omnes, & ſingulas Indulgentias, ac peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes Chriſtifidelibus in Regnis, & Provinciis hujuſmodi degentibus in certis anni feſtivitatibus quomodolibet conceſſas, ut præfertur, ad quindecim dies unamquamque ex hujuſmodi feſtivitatibus reſpectivè immediatè ſequentes, itaut iidem Chriſtifideles, ſi intereà pietatis opera ad illarum conſecutionem per literas Apoſtolicas prædictas reſpectivè præſcripta peregerint eaſdem Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes conſequantur in omnibus, & per omnia, perindè, ac ſi eadem pietatis opera diebus feſtivitatum hujuſmodi reſpectivè peregiſſent, ſervatâ tamen in reliquis earumdem literarum Apoſtolicarũ formâ, & diſpoſitione, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium extendimus, & ampliamus &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 17. Auguſti 1678. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Indulgentiæ pro aliquibus feſtivitatibus conceſſæ extenduntur ad quindecim dies eaſdem feſtivitates immediatè ſequentes.

INNO-

Num. 2.

Indulgentiæ à ſa: me: Innocentio XI. conceſſæ Confraternitati de Charitate nuncupat.

UNiverſis &c. Salutem &c. Cœleſtibus Eccleſiæ theſauris piâ charitate intenti omnibus Confratribus, & Cons ororibus Confraternitatis, ſeù Congregationis de Charitate nuncupat. in Civitate Januen. Canonicè, ut aſſeritur, inſtitutæ, quorum præcipuum inſtitutum eſt Hoſpitali Incurabilium ejuſdem Civitatis ſecundùm ordinem unicuique ad opus hujuſmodi præfixum verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacrâ Communione refectis, qui ſexties in anno in diebus ſecundùm eumdem ordinem ad inſerviendum dicto Hoſpitali illis præſcriptum, ſeù Dominicis immediatè ſubſequentibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordiâ, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, quam pro animabus Chriſtifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hâc luce migraverint per modum ſuffragii applicari poſſe indulgemus; In contrarium &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 23. Septembris 1678. Pontificatus Norſti Anno Secundo.

Supplices libelli, qui referentur.

ASSISIEN.

AVERSANA.

COMEN.

EBORACEN.

FLORENTINA.

FRISINGEN.

HORTANA.

JAURINEN.

JAURINEN.

MOGUNTINA.

NOVARIEN.

ORD. FF. SERVORUM B. M. V.

NULLIUS PROV. COLONIEN.

PERUSINA.

REGIEN.

REGINOHRADECEN.

ROMANA.

SALISBURGEN.

TERTII ORD. S. FRANCISCI PROV. BELGICÆ.

VIVARIEN.

ROMÆ, MDCCXVI.
Ex Officina Cajetani Zenobii Typographi,
Caraсterum Fuſoris, & Scalptoris,
SS. D. N. CLEMENTIS XI.

Digitized by Google

Digitized by Google